

tiant fidei. Non ergo debet catechismus præcedere baptismum.

Sed contra est, quod Rabanus, de Institutione clericali, dicit (lib. 1, cap. 25, a med. illius): Ante baptismum, catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. præced., art. 1), baptismus est fidei christianæ sacramentum, cum sit quædam professio fidei christianæ. Ad hoc autem, quod aliquis fidem accipiat, requiritur, quod de fide instruat, secundum illud Rom. 10: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Et ideo ante baptismum convenienter præcedit catechismus. Unde et Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismo dicens: Eritis, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.

Ad 1 ergo dicendum, quod vita gratiæ, in qua regeneratur aliquis per baptismum, præsupponit vitam naturæ rationalis, in qua homo potest esse particeps doctrinæ.

Ad 2, dicendum, quod sicut mater Ecclesia, ut supra dictum est (quæst. 69, art. 6, ad 3 argum., et 68, art. 9), accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant; et aliorum cor, ut credant; ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, et intellectum, ut per alios instruantur. Et ideo eadem ratione sunt catechizandi, qua sunt baptizandi.

Ad 3, dicendum, quod ille, qui pro puero baptizato respondet: Credo, non prædicat puerum crediturum, cum ad legitimos annos pervenerit, alioquin diceret, Credit; sed proficitur fidem Ecclesiæ in persona pueri cui communicatur, cujus sacramentum ei attribuitur et ad quam obligatur per alium. Non est enim inconveniens, quod aliquis obligetur per alium in his, quæ sunt de necessitate salutis. Similiter etiam patrinus pro puero respondens promittit se operam daturum ad hoc, quod puer credat. Quod tamen non sufficeret in adultis, usum rationis habentibus.

#### COMMENTARIUS.

1. De catechismo adultorum substantiali. — Duo attingit D. Thom. in hoc articulo: unum de catechismo adultorum, aliud de catechismo parvulorum, et de utroque aliquid notandum est. Circa primum distinguere possumus duplicem catechismum adultorum, scilicet, substantialem (ut sic dicam), et cæremonialem;

substantialem voco eum, qui per se et ex natura rei, supposita institutione et fine baptismi, necessarius est ad convenientem usum hujus sacramenti, licet non sit simpliciter de essentia ejus; et hic catechismus consistit in sufficiente instructione et doctrina rerum fidei ac morum: atque hic catechismus fundamentum habet in verbis Christi, Matth. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; ut recte notavit et explicuit Basil., hom. 1 de Baptismo. Et, ne quis existimaret (quod aliqui etiam hæretici opinati sunt, ut refert et impugnat August., lib. de Fide et operibus) esse tantum necessariam doctrinam de credendis, non autem de agendis, addit Christus: Docentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Atque ita semper in Ecclesia servatum est, ut ante baptismum sufficiens catechismus præcederet. Unde Act. 2, prius Petrus fidem prædicavit et pœnitentiam agendam esse docuit; et deinde, qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et similiter cap. 8, Philippus prius catechizavit Eunuchum, et deinde baptizavit illum.

2. De catechismo cæremoniali. — Quæ nomina dabant catechumeni. — Alter catechismus, quem cæremonialem vocamus, ad priorem ordinatur et illum includit, solumque addit specialem quemdam modum et ordinem ab Ecclesia institutum, et observatum in catechumenorum instructione et præparatione ad baptismum. Primo ergo, qui animum ad christianam fidem applicabant, ad res fidei audiendas admittebantur prius quam baptismum peterent, et hi generali nomine solent vocari catechumeni, specialiter autem dicuntur audientes, ut distinguantur ab aliis, qui competentes vocantur, ut notat Rabanus, lib. 1 de Instit. Cleric., c. 26, ex Isid., lib. 2 de Eccles. officiis, c. 21. Secundo igitur, qui jam omnino decreverant fieri christiani, baptismum petebant, et sua nomina dabant, ut constat ex Dion., c. 2 de Eccles. Hier. Unde Clemens, ep. 3: Accedat, qui baptismum vult, ad sacerdotem et nomen suum det; et August., lib. de Fide et operib., c. 6: Hoc, inquit, fit multo diligentius et instantius his diebus, quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt; et lib. de Cura pro mortuis agenda, c. 12: Pascha, inquit, appropinquabat; dedit nomen inter alios competentes; et lib. 9 Confessionum, c. 6, de se catechumeno sic scribit: Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret,

relicto rure Mediolanum remeavimus; similia repetit, epist. 115. Cyrill. Hieros., catech. 4: Intrasti eo loco dignus habitus, nomen tuum inscriptum est. Idem sumitur ex Dion., c. 12 de Eccles. Hierar., et ex Concil. Carthag. IV, c. 85; et habetur de Consecrat., d. 4, cap. Baptizandi, secundo. Et juxta hæc fortasse intelligendus est can. 7 Concilii I Constantinopolit., ubi hic ordo præscribitur servandus circa eos, qui rectæ fidei adscribi volunt: Primo, inquit, die ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, tertio exorcizamus, et tunc eos baptizamus. Est enim in his verbis difficile intellectu, quid sit christianos facere ante catechismum et baptismum; unde nihil aliud esse videtur, quam eos annumerare, et adscribere inter electos ad christianismum (sic enim eos vocat Leo Papa, epist. 4, c. 5 et 6). Unde fit verisimile, ea nomina, quæ tunc catechumeni dabant, non fuisse antiqua gentilitatis nomina, sed ea, quæ baptismum suscepturi sibi eligebant; quæ futura erant, non gentilium, sed Sanctorum nomina, juxta id quod sancitum est in Concil. Nicæno, can. 30, apud Turrianum; ubi etiam dicitur, nomina christianorum imponenda esse in baptismo; sed intelligendum est, ita fuisse imponenda, ut ipsa ei sibi eligant, si sint adulti, vel parentes seu susceptores, si sint parvuli. Et quamvis hujusmodi nomen dicatur imponi in baptismo, non est necesse, ut ipso die baptismatis seu cum ipsa ablutione simul imponendum intelligatur, sed satis est, quod in initio ipsius ritus baptismalis eligeretur, seu daretur nomen. Atque ita etiam in ritu baptizandi infantes, quem nunc servat Ecclesia, statim in foribus Ecclesiæ, in initio catechismi interrogat minister: Quonomine vocari vis; et respondent patrini: Petrus, vel Joannes. Ita ergo existimo servatum esse in adultis; quod scilicet ea nomina, quæ in initio catechismi dabant, erant illa, quæ in baptismo, seu christianismo sibi imponenda eligebant, quæ nomina scripta in Ecclesia servabantur, ut colligitur ex cap. Legum Ecclesiasticarum, 2, quæst. 4. Potest etiam hoc colligi ex Eusebio, lib. 7 Hist., cap. 20, et lib. 8, cap. 21, et Niceph., lib. 6, cap. 22.

3. Quibus instruebantur catechumeni. — Quamdiu durabat catechesis. — Tertio post petitum baptismum et datum nomen inchoabatur catechismus, ut ex prædictis decretis colligitur, præsertim ex D. Dionysio Areop., d. cap. 2; Clemente, dicta ep. 3; Ambros., lib. de his qui initiantur; Cyrillo Hierosolym., in

catechesibus; August., lib. de Fide et operibus, c. 9 et sequentibus; et Tertulliano in lib. de Baptismo. Qui omnes docent non solum de rebus fidei, sed etiam de his, quæ ad mores pertinent, fuisse illo tempore catechumenos instructos, nec solum edoctos, sed etiam in jejuniis, orationibus, aliisque piis operibus eo tempore fuisse exercitos, ut diserte docet Syrius Papa, ep. ad Himerium Tarracon., c. 2. De qua re nonnulla supra attigimus, quæst. 68, art. 5 et 6; et Leo P., ep. 80; Justinus Mart., apol. 2 pro christianis, circa fin. Sed interrogabit fortasse aliquis, quanto tempore durare oportebat in hujusmodi catechismo et exercitatione. In hoc nihil invenio satis aperte scriptum; nam in dicto can. 7 Concilii I Constantinop. solum dicitur: Sic eos catechizamus, seu initiamus et curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesiis et audiant Scripturas; et in idem redit, quod in Concil. Carthag. IV, c. 85, dicitur: Diu sub abstinentia vini et carni, et manus impositione crebra examinati baptismum percipiant; apud Burchardum autem, lib. 4, c. 15, ex Decretis Clementis, sic legimus: Si quis fidelis voluerit existere, accedat ad sacerdotem et det nomen suum, atque ab eo audiat mysteria regni cælorum, jejuniis frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, ut tres menses jam consummando in die festo possit baptizari. Syrius vero loco citato dicit eligendos esse ad baptismum, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, et exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati. Rupert. vero, lib. 4 de Officiis Eccles., c. 18, agens de feria 4 quartæ hebdomadæ Quadrag., sic inquit: Cuncta pene Ecclesiæ proles, quam per annum verbo prædicationis novam gignere poterat, instante solemnitate paschali, hac die sua nomina dabant, etc.; quod si hoc verum est (ut credendum est) tantum 25 diebus, qui ab eo die usque ad sabbatum sanctum intercedunt, durabat catechismus competentium, ex quo nomina sua dederant. Et fortasse juxta hanc Ruperti historiam intelligendum est decretum Concilii II Bracharensis, c. 4, quod refertur in c. Placuit, 10, quæst. 1, et in c. Ante viginti, de Consecr., d. 4, ubi sic dicitur: Episcopi docere debent ignaros, et hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi concurrant catechumeni, in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum doceantur. Fortasse enim



ille numerus completus pro incompleto positus est; vel certe, quamvis eo die, quem Rupertus designat, inciperent nomina dari, non tamen erat necessarium omnes eo die describi, sed infra quatuor, vel quinque dies, ita tamen ut saltem vigesimo die ante baptismum omnes essent descripti, quomodo in c. 49, ex collectis a Martino Bracharensi Episcopo, dicitur, non licere ante duas septimanas Paschæ, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Vel denique (quod verisimile est) non fuit in hoc una omnium Ecclesiarum consuetudo; nec fortasse in omnibus Ecclesiis fuit certus dierum numerus designatus, sed iudicio prudentis Episcopi, vel parochi committebatur, ut tunc eos admitteret, cum sufficienter instructos, ac dispositos iudicaret.

4. De signo crucis. — De abrenunciacione Satanæ. — De fidei professione. — Quarto notantur ab auctoribus nonnullæ cæremoniæ, quæ specialiter in hoc catechismo fiebant. Primo dicitur scrutinium, ut videre licet apud Rupertum, Rabanum et Alcuinum locis citatis, et alios auctores, qui de officiis Ecclesiasticis scribunt; ut enim certius exploraretur, an vera esset catechumenorum conversio ad fidem, fiebant ab Ecclesia septem scrutinia infra illos 25 dies, a die, quo dabant nomina, usque ad diem baptismatis; et de his loquitur Leo P., ep. 4, c. 6, cum ait catechumenos prius scrutandos esse; et August., de Fide et operibus, c. 6: *Catechizantur, exorcizantur, scrutantur*; et lib. 2 de Symbolo, c. 4, et lib. 4, cap. 4, idem satis aperte significat. Secunda cæremonia est, quod catechumeni sæpius signabantur signo crucis, *per quod sacrosanctum signum* (teste D. August. supra) *in utero sanctæ matris Ecclesiæ catechumenus concipitur*; fiebatque hoc signum in fronte, ut ex B. Dionysio evidenter colligitur, c. 2 libri sui de Eccles. Hierarch.; et Sancto Cypriano, ep. 56, et serm. de Lapsis; August., de Catechizandis et instruendis rudibus, c. 20, et ep. 118, et conc. 2 in Psal. 36; et Ambros., lib. de His qui initiantur, c. 4: *Credit, inquit, catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur*. Tertia, et solemnissima cæremonia est abrenunciatio Satanæ, quam late describit beatus Cyrillus Hierosolym. Episcopus, catech. 4 Mystagog.; et ejus sæpe meminit etiam D. Dionysius supra, et Clemens, lib. 7 Constitut., cap. 41 et 42; et Tertull., lib. de Spectaculis, c. 4; D. Basil., lib. de Spiritu Sancto, c. 27; Origenes, hom. 8 in Exod.; Ambros., locis supra citatis, et

lib. 4 Hexameron, c. 4; August., supra, et lib. 4 de Peccat. merit. et remis., c. 34; Chrysost., hom. 21 ad Populum; et D. Bernardus, serm. quem habuit de duplici baptismo. Colligitur autem idipsum ex citatis Patribus, præsertim ex D. Dionysio, Cyrillo et Ambr., solitum fuisse catechumenum converti solitum ad Occidentem; facta vero renunciatione, converti solitum ad Orientem ad significandum hominem baptizandum debere, spreto dæmone, Christum intueri, ut ait Ambr., de his qui initiantur, cap. 4, seu cælum aspicere, Christoque conjungi, ut ait Dionys. Quarta erat fidei professio, quæ sæpius fiebat illis catechismi diebus, et ipso etiam baptismatis die, per publicam symboli confessionem, ut ex Dionys. et aliis Patribus citatis constat, et ex Concil. Carthag. I, cap. 4; et ex Cyrillo Alex., lib. 12 in Joan., c. 64, ubi ait: *Hinc (id est, ex trina interrogatione Christi facta ad Petrum) Ecclesia regulam tertio interrogandi eos accepit, qui ad baptismum accedunt, ut terna Christi confessione fidelibus adnuerentur*. Et ex Ambr., lib. 2 de Sacram., c. 7; Augustino, de Fide et operibus, c. 11: *Cur, inquit, baptizandis, vel symbolum tradimus, vel reddendum reposcimus?* Idem sæpe in lib. de Symbol.; et lib. 8 Confes., cap. 2; Hieron., dialog. contra Luciferianos; et Tertull., lib. de Spectacul.: *Aquam ingressi christianam in legis suæ verba profitentur*. Idem late Cyprian., lib. 4, ep. 12. Ratio autem harum omnium cæremoniarum est, ut per eas catechumeni in fide confirmantur, et perfecte ad Deum convertantur, ut de utroque satis Ecclesiæ constet. Ex quo interdum apud antiquos Patres legimus, inter baptizatum, et Christum seu Ecclesiam, iniri pactum eum promissione. Unde Urbanus I, epist. decretali, cap. 6: *Hortamur, inquit, ut sponcionem, quam Domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis*; et eodem fere modo loquitur Ambrosius, lib. 4 de Sacram., cap. 2: *Ubi promiseris, considera, vel quibus promiseris, chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cælo*. Imo Isidorus, lib. 2 de Officiis Ecclesiasticis, cap. 24, duplicem dicit intercedere pactionem: alteram renunciationis diaboli et pomparum ejus; alteram fidei in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Sed non est intelligendum de proprio voto, seu promissione Deo facta, sed de obligatione, quam ipsamet professio Christianæ religionis, quæ in baptismo fit, inducit ratione divinæ legis a Christo latæ, et potestatis Ecclesiæ

suæ concessæ. Et hæc de catechismo adultorum.

5. De catechismo infantium. — Altera pars doctrinæ D. Thom. in hoc articulo est de catechismo infantium, quem infideles irrident, ut ex Dionys. et aliis Patribus statim citandis constat, quia infantes nec possunt in fide instrui, nec diabolo renunciare, et Christum amplecti; neque alii pro eis possunt id affirmare, aut profiteri, cum ignorent, quid ipsi parvuli postea acturi sunt, aut deliberaturi. Nihilominus tamen hic modus catechismi parvulorum, quem nunc eisdem fere cæremoniis Ecclesia servat, antiquissimus est, ut patet ex Dionysio, de Eccles. Hier., cap. ult., in fine; et August., ep. 23, et lib. 4 de Baptism., c. 24, et serm. 10 et 14 de Verbis Apost.; et Isidor., lib. 2 de Offic., c. de Baptismo; et significat etiam Justin., quæst. 56 ad Orthodox. Fit autem hic catechismus in parvulis primo, ut in eis perficiantur ea, quorum ipsi sunt capaces, et ita eis tunc nomen imponitur, et signo crucis signantur. Secundo, ut susceptores admoneantur de obligatione, qua tenentur ad instituendos infantes; et ideo manus suas imponunt capiti baptizandi, et nomine ejus symbolum profitentur, et orationem dominicam recitant. Tertio, ut quasi solemnem professionem constet, non minus manere obligatum parvulum baptizatum ad fidem et religionem christianam, quam si propria voluntate baptismum suscepisset. De qua re satis in superioribus dictum est.

## ARTICULUS II.

Utrum exorcismus debeat præcedere baptismum (infra, art. 3, ad 3; et 4, dist. 6, quæst. 2, art. 3, quæst. 1, per tot., et quæst. 2, ad 4.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod exorcismus non debeat præcedere baptismum. Exorcismus enim contra energumenos, id est arreptitios, ordinatur. Sed non omnes baptizandi sunt tales. Ergo exorcismus non debet præcedere baptismum.

2. Præterea, quamdiu homo subjacet peccato, diabolus in eum habet potestatem, quia, ut dicitur Joan. 8, qui facit peccatum, servus est peccati. Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

3. Præterea, ad arcendum dæmonum potestatem introducta est aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorcismum.

Sed contra est, quod Cælestinus P. dicit (in 1 epist. ad Episc. Galliæ, c. 12, in princ., tom. 1 Concil., et de Eccles. dogm., cap. 31, tom. 3, inter oper. August.): *Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abjiciatur*.

Respondeo dicendum, quod quicumque sapienter aliquid opus facere proponit, prius removet impedimenta sui operis, unde dicitur Hierem. 4: *Novate vobis novale et nolite serere super spinas. Diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur, et habet potestatem aliquam in hominem, ex hoc ipso, quod subditur originali peccato vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediatur; quam quidem expulsionem significat exsufflatio. Benedictio autem cum manus impositione, præcludit expulso viam, ne redire possit. Sal autem in os missum, et narium et aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures, et approbationem, quantum ad nares, et confessionem, quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones*.

Ad 1 ergo dicendum, quod energumeni dicuntur, quasi interius laborantes, ex intrinseca operatione diaboli. Et quamvis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati, potestati dæmonum subjiciuntur, saltem propter originalis peccati reatum.

Ad 2, dicendum, quod in baptismo per abluitionem peccati excluditur potestas dæmonum ab homine, quantum ad hoc, quod impedit eum a perceptione gloriæ. Sed exorcismi excludunt potestatem dæmonis, in quantum impedit hominem a perceptione sacramenti.

Ad 3, dicendum, quod aqua benedicta datur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab exteriori; sed exorcismus ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab interiori. Unde et energumeni dicuntur, quasi interius laborantes, illi qui exorcizantur. Vel dicendum quod, sicut in remedium contra peccatum, secundo datur pœnitentiâ, quia baptismus non iteratur, ita in remedium contra impugnationes dæmonum, secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.



## COMMENTARIUS.

1. De hac materia, et de exorcismi anti-quitate multa supra attigimus, de cæremoniis sacramentorum in genere disputando; et in particulari de exorcismo, quatenus ante baptismum præmittitur, tractant Dionysius, cap. 2 de Ecclesiastica Hierarch., et Coelestinus Papa, quem hic D. Thom. citat, in epist. 1 ad Episcopos Galliæ, cap. 12; et Concil. Bracharense II, cap. 1; et Chrysostom., homil. de Adam et Eva; Augustin., lib. 6 contra Julianum, cap. 2; et lib. 4 de Gratia Christi, cap. 40; et lib. 2 de Peccato origin., cap. 24; et lib. 2 de Nuptiis et concupiscentia, cap. 17 et 18; et lib. 5 Hypognosticon; et lib. 3 contra Cresconium, cap. 3 et 4; et serm. 40 de Verbis Apostoli; et lib. de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 31, in quibus locis ex hac cæremonia exorcizandi catechumenos colligit, dæmonem habere specialem in homine potestatem et habitationem propter peccatum originale. Quo argumento utitur etiam Optatus Milevitanus, lib. 4 contra Parmenianum. Ejusdem cæremoniæ meminit Isidor., lib. 4 de Ecclesiast. offic., cap. 21, ubi ait, exorcismum esse increpationem contra immundum spiritum, qua ejus virtus, et violenta incursio arcetur, seu fugatur. De eadem tractat Cyrillus Hierosolym., catech. 1, et Nazianz., orat. 40, in sanctum Baptismum; Ambros., lib. 4 de Sacram., cap. 5; Leo Pap., epist. 4, cap. 5.

2. De cæremoniis exorcismi. — De sale in os baptizandi misso. — Explicat autem D. Thom. in particulari varias cæremonias, quibus hic exorcismus catechumenorum perficitur. Prima est, exsufflatio dæmonis, quam expresse ponunt Dionys., Augustin. et alii. Hæc autem exsufflatio per Ecclesiæ ministros fit ad significandum effectum exorcismi, qui est quædam dæmonis expulsio. Unde videtur de ratione illius esse, ut fiat a ministris exorcismi. Unde Augustin., de Ecclesiast. dogm., cap. 31, dicit, *exsufflationibus clericorum spiritum immundum abigam a parvulis quam ab adultis*; et idem significat, lib. 6 contra Julianum, cap. 2, et aliis locis supra citatis, ubi semper docet, hanc exsufflationem fieri ab Ecclesia per ministros suos; at vero Dionys. loco citato significat, ipsummet catechumenum baptizandum, si esset adultus, solitum esse ter exsufflare dæmonem: verba ejus sunt: *Deinde*

*cum illum Occidentem versus attendentem, manusque porrigentem collocavit, tunc enim jubet tertio satanam insufflare, et præterea, quæ abrenuntiationis sunt, profiteri, etc.* Sed si proprie loquamur, exsufflatio proprie pertinet ad ministros; fit enim ad significandam efficaciam; unde habet increpationem et imperium a Iunctum his fere verbis: *Maledicte, exi foras*, ut Optatus supra notat; fortasse vero adulti catechumeni etiam exsufflabant, veluti consentiendo, aut certe ipsamet abrenuntiatio dæmonis facta a catechumeno dicitur quædam ejus insufflatio. Secunda exorcismi cæremonia est manus impositio cum benedictione sacerdotis; qua significatur, vel etiam impetratur, ut dæmoni præcludatur via, ne iterum redeat, sicut D. Thom. notavit; hujus vero cæremoniæ, quoad manus impositionem, meminit Clemens Papa, lib. 7 Constitutionum Apostolicarum, cap. 30 et 40; et Concil. Hispal. II, cap. 7; et Carthaginense IV, cap. 85; et Augustin., lib. 2 de Peccatorum meritis et remis., cap. 26, ubi ait, catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis sanctificari; quibus verbis significat, hanc manus impositionem habuisse conjunctam orationem sacerdotis, et signum crucis; et hanc forte vocavit D. Thom. benedictionem sacerdotis; quod sumpsit ex Dionys. loco citato dicente: *Rursus cum precatus est, eum benedixit, manusque imponit*. Tertia cæremonia est sal in os baptizandi missum; qua cæremonia, aut divinæ sapientiæ infusio, aut fidei confessio significatur, ut colligi potest ex Orig., hom. 6 in Ezech., circa illa verba cap. 16: *Aqua non est lota in salutem, nec sale salita*; et Augustin., lib. 4 Confessionum, cap. 11, dicente: *Signabar jam signo ejus, et condiebar ejus sale*. Clarius ex Beda, lib. 2 in Esdram, cap. 9, et habetur in cap. *Sal celestis sapientiæ*, de Consecrat., dist. 4; et ex Isidoro, lib. 2 de Officiis, cap. 20; in Conc. autem Carthag. III, cap. 5, indicatur, sal solitum fuisse dari catechumenis loco Eucharistiæ, quod de pane benedicto docuit Augustin., lib. 2 de Peccat. merit., cap. 26; hoc autem sal prius benedicebatur, quam gustandum daretur catechumenis, ut constat ex ordine Romano, et ex more, quem nunc servat Ecclesia, et ex Rabano, lib. 4 de Institutionibus Clericorum, cap. 27, habetur in cap. Ex hinc, de Consecrat., dist. 4: *Datur, inquit, baptizando sal benedictum in os, ut per sal typicum sa-*

*pieniæ sale conditus fœtore careat iniquitatis, et ne a vermibus peccatorum ultra putrefiat.* Optime Petrus Damianus, epist. 15, cap. 20, in quo sunt illa verba notanda; agens enim de sale, aqua, et chrismate, subdit: *Hoc quidem per se consideratum, nuda sunt elementa, nullumque habere noscuntur mysticæ dignitatis arcanum; ad orationem autem sacerdotis, et invocationem divini nominis, virtutis intimæ concipiunt sacramentum.* Quarta cæremonia est sputo nares et aures baptizandi linire, in signum (ait D. Thom.) receptionis, et approbationis doctrinæ fidei; quam cæremoniam esse antiquissimam, constat ex Ambr., lib. 4 de Sacram., cap. 4: *Ideo, inquit, tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem et ad eloquium sacerdotis*; et significat hanc cæremoniam sumptam esse ex Christi exemplo, qui os, et aures hominis surdi et muti tetigit, ut ei sermonem et auditum restitueret; et subdit infra: *Quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, et sit in te fides, devotionisque plena fragrantia.* Idem fere docet Ambr., lib. de His qui initiantur, cap. 4. Verum est his locis non facere Ambrosium expressam mentionem salivæ, qua nares et aures tangebantur; indicat tamen, dum affert Christi exemplum, qui expuens tetigit linguam, et aures alterius; de quo videndus est Beda, hom. 19 in Marcum; et significat etiam Augustin., tract. 44 in Joan., quatenus dicit, cæcum saliva Christi inunctum repræsentare catechumenum. Quinta cæremonia est inunctio olei sanctificati, quam dicit D. Thom. solum esse ad significandum aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones, quod sumpsit ex Ambr., lib. 4 de Sacram., cap. 2, et lib. 3, cap. 1, ut latius explicuit supra, quæst. 66, art. 10, ad 2, ubi declarat, duplicem esse hanc unctionem, alteram in pectore, qua significatur fides recta animo suscepta, alteram inter scapulas, ad significandum exercitium bonæ operationis, quia fides sine operibus mortua est; vel per priorem significatur munditia cogitationum in pectore, per posteriorem vero fortitudo laborum in scapulis. Ita fere Innocent., in cap. unico, § Quia vero, de Sacra unctione. Eandem cæremoniam indicat Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, ubi inter traditiones non scriptas numerat benedictionem olei, quo catechumeni inunguntur; ejusdem meminit Origenes, hom. 7 in Ezech.; Cyrill. Hierosol., catech. 2 Mystag.; et Chrysostom., hom. 6, ad Coloss.;

Augustin., serm. 206 de Tempore; Justinus, quæst. 137 ad Gentes; Clemens Romanus, lib. 3 Const., cap. 16, ubi optime Turrianus. Atque hæc sunt cæremoniæ, quas D. Thom. in hoc articulo attigit, quæque baptismum antecedunt; alias vero, quæ subsequuntur, explicat art. sequentibus.

## ARTICULUS III.

Utrum ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant (4, dist. 6, quæst. 2, art. 3, quæst. 2).

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod ea, quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid, sed solum significant. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismum, salutem non consequetur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum, quæ in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem, unde et Marci ultimo dicitur: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Ergo ea, quæ aguntur in exorcismo nihil efficiunt, sed solum significant.*

2. *Præterea, hoc solum requiritur ad sacramentum novæ legis, ut sit signum et causa, ut supra dictum est (quæst. 62, art. 1 et 2). Si ergo ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant, videtur quod singula sint quædam sacramenta.*

3. *Præterea, sicut exorcismus ordinatur ad baptismum, ita etiam si aliquid in exorcismo efficiatur, ordinatur ad effectum baptismi. Sed dispositio ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma non recipitur, nisi in materia disposita. Sequeretur ergo, quod nullus posset consequi effectum baptismi, nisi prius exorcizetur, quod patet esse falsum. Non ergo ea quæ aguntur in exorcismis aliquid effectum habent.*

4. *Præterea, sicut quædam aguntur in exorcismo ante baptismum, ita etiam quædam aguntur post baptismum, sicut quod sacerdos baptizatum chrismate ungit in vertice. Sed ea, quæ post baptismum aguntur, non videntur aliquid efficere, quia secundum hoc effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea, quæ ante baptismum aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.*

*Sed contra est, quod August. dicit (lib. 4 de Symb., cap. 1, circa fin., tom. 6, et lib. 5 Hypog., circa finem, tom. 7, et de Nupt. et concup., lib. 2, c. 17 et 18, tom. 7): Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, qui dæcepit hominem. Nihil autem agitur frustra per Eccle-*